

05

A

298



DIS

M

M
ON
S. T

Domini

M. J. C.

✠✠✠



DISPUTATIO THEOLOGICA PASSIONALIS 73
SECUNDUM

MATTHÆUM,

Ex CAP. XXVII.

Quam

In florentissimâ ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Maximè Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS Deutschmann/

S. Theol: Doct: ejusdemq; Facultatis Professoris Publ.

Celeberrimi, nec non Alumnorum Electoralium

Ephori gravissimi,

Domini Patroni, Præceptoris, studiorumq; suorum Pro-

motoris omnem aetatem observantissimi.

Publicæ Eruditorum ventilationi


exponit

M. JOHANNES PAULUS CRUSIUS, VVilstroff:

Misnicus, Sereniss: Elect: Saxon: Alumnus.

In Auditorio Theologorum

Septimo Idûs Aprilis, Anno Christi M. DC. LXIX.



WITTEBERGÆ,

In Officinâ Fincelianâ excudebat Michaël Meyer.

Post.



DISPUTATIO THEOLOGICA PASSIONALIS

SECUNDUM

MAITHEUM

EXCAP. XVIII

in honorem et aliam Academicam

in Praesidio



05 A 298

XIX

In Off. Lith. v. Meyer



HOMILIÆ PASSIONALES.

HOMILIA XVII, PASSIONALIS

ex Math. XXVII. 3. - 10.

DE JUDÆ PRODITORIS DESPERATIONE,

P*Rel.* Ex *Matth.* XXVI. 24. Gravissima *Christi* vox erat, quam in ultimâ cœnâ *Jude* proditori dicebat, ut ipsum præmoneret, & à damnabili proditoris instituto revocaret: *Væ homini illi, per quem Filius hominis traditur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Sonum verborum tum auribus proditor hauriebat, sed nervum & sensum animo non percipiebat, quia triginta numorum lucrum, & *Satanæ* consilium totum ejus cor replebat, & omnes cogitationes in proditionem convertibat. At paulò post non sonitus, sed horrendum tonitru verborum illorum cor ejus concutit, & post multas conscientiae torturas in horrendæ desperationis & æternæ damnationis barathrum proditorem conjicit, sicut *Matthæus* nobis in *historia Passionis* id ipsum ordine describit, unde modo de *Proditoris Desperatione* dicemus.

Matth.
XXVI. 24

Exord. Tota *Scriptura peccati* mentione plena conspicitur, prima verò in codice *biblicò peccati* mentio non sine divino consilio pulcherrimam nobis *peccati* descriptionem exhibere videtur. *Gen. IV, 8. Peccatum ad ostium cubat.* Hæc verba quidem *B. Lutherus Adamo*, qui summus Sacerdos, Patriarcha & Prophetæ erat *Ecclesiæ primitivæ* post lapsum, adscribit in *Comm. super Gen. f. 59* Credo, inquit, verba hæc ab ipso *Adamo* esse dicta: ideo autem à *Domino*, dicit *Moses*, dicta esse, quod *Adam* jam erat justificatus & donatus *Spiritu Sancto*. Quæ igitur secundum *Verbum D&I* ex *Spiritu S.* dicit, rectè *DEUS* dixisse dicitur. Et certè *Prophetæ* etiam suas *Conciones* his verbis inchoant: *Hoc est Verbum Domini, hæc dicit Dominus*; neq; *Cain* videbatur gratio-

Gen. IV. 8.
Prima
peccati
mentio
descripti-
onem ejus
affert.

A

sa

HOMILIÆ PASSIONALES.

fa DEI apparitione, compellatione & peculiari dehortatione dignus. Melius tamen, & textui convenientius videtur, hæc verba ad *ipsum DEum*, ad *ipsum DEI Filium*, *pœnitentiæ præconem*, *hominum redemptorem*, referre. Nam sicut in *Paradisô* primus *Adamo* Confessionarius fuit, ita filio *Adami* primogenito, *Caino*, pœnitentialis concionator. Hæc igitur *definitio* peccati verè *divina* est. Continet autem hæc *descriptio* (1) *Nominale definitum*, *peccatum*, *Sünde*, secundum quosdam dicitur à *Græco* *σίνειν* quod est *ledere*, *nocere*, quia peccatum lædit DEum, lædit Angelos, lædit omnes creaturas, quibus homo peccator abutitur: peccatum noxium est ad vitam *naturalem*, ad vitam *Spiritualem* & *æternam*. Est enim ipsa *ἀνομία*, illegalitas, legi *divine* contrarium malum, adeoq; *bonitati*, *veritati*, *sanctitati* & *justitiæ divine* adversum: imo inimicitia est adversus DEum *Rom: IIX. 7.* separat nos à Deo *Esai LIX. 2.* privat nos imagine *divina* *Gen. III.* & omni gloria coram Deo *Rom. III. 23.* (2) *Formale actum*: Sicut enim *definitio* constat *formali* & *materiali*, sic h. l. Filius Dei peccatum describit. *Formalis actus* exprimitur verbo *רבע* significat autem hæc *radix instar animalis quadrupedis cubare*, & usurpatur in scriptura sæpius de animalibus sævis & truculentis, de *Leone* *Gen. XLIX. 19.* de *pardo* *Es. XI. 6.* unde ab hæc radice *Sophon. II. 15.* nomen *עֲרֵבָע* *cubile*, in quo feræ bestię delite-
Cerberus. scunt, a quâ radice nonnulli per *metathesin* *Cerberum*, tricipitem *Plutonis* canem, ante januam inferni cubantem, derivant. Notatur autem per hanc vocem *accubitus firmus peccati*, quia quadrupes bestias cubantes firmissime locis hæere, & difficulter sitû moveri deprehendimus: item *accubitus peccati perpetuus*, sicut communiter similitudinem à *cane* foribus alligatô catenis petitam statuunt, quia talis à foribus non recedit, neq; peccatum à peccatoribus discedit: deniq; *accubitus horribilis*, sicut canis latrans & mordens accubat, qui filet, quamdiu dormit, evigilans verò latrat, & rabiosè mordet: sic peccatum non semper inquietat conscientiam, sed interdum dormit, vel dormire videtur, & quando dormit, nemo credit, peccatum rem esse adeo horren-

Nomina-
le defini-
tum
Sünde
unde di-
catur,

Formale
actum.
רבע

HOMILIÆ PASS ONALES.

horrendam & terribilem, quæ hominem ad desperationem, ad laqueum, gladium, aquas, & similia adigere possit. Sed quando peccatum evigilat, *ad ostium cubat*, nihil ab eò tutum, omnia horribili latratu & morsu penetrat. (3) *Materialem respectum*, nimirum ad *ostium conscientiae*, sicut exponit *Targum Hierosol.* *Nonne si bene egeris in seculo hoc, condonabitur tibi in futuro? quod si v. non bene feceris in mundo hoc, ad diem iudicii magni peccatum tuum reservabitur, & ad ostium tuae Conscientiae quiescet: Cubat ad cordis januam, & si fuerit excitatum, illud sine fine radit & rodit, torquet & mordet. Confer Margin. Luth. Piscat. ad h. l. Hæc enim praxis Diaboli & peccati, dum dormiunt, primo dicunt Pecca, post hæc urgent, persevera, sed tandem evigilant & clamant, Despera, Despera, Exemplo nobis est Cain, idem exemplum videmus in Judâ proditore, de cujus Desperatione modo quædam secundum Matthæum proponemus: I. Desperationis Judæ causam v. 3. 4. II. Desperationis Judæ formam v. 5. III. Desperationis Judæ Energiam, v. 6. - 10.*

Materialem respectum.

Judæ desperationis.

I. Desperationis causa

Excitans.

Tract. *Desperationis Judæ causa* describitur v. 3. & 4. in quibus proponitur (1) *Desperationis causa excitans*, Christi siquidem *condemnatio*, in Synedriò facta, *fuit occasio, causa* quasi *πρόσκλησις*, ut ad se rediret Judas, verba Christi non semel de sui proditore prædicta, sibi in memoriam revocaret, imò conciones Christi de Passione se ductore, nunc adimpletum iri deprehendebat. Hæc turbabant, & perturbabant Judam, ut sentiret Diaboli fraudes, peccati morsus, conscientiae latratus, nec ullibi requiem inveniret. [2] *Desperationis causa incitans.* Dolet *ex lege*, sed sine fide, qui dolor ad mortem & desperationem præcipites agit: pœnitet *pœnitentiâ* non Evangelicâ, sed legali, quia *Evangelii & Evangelici seminis promissi* proditor erat, sine quo nulla datur pœnitentia salutaris, nullum datur peccatis solatium, nec ullum reperitur adversus desperationem, variamque Diaboli tentationem, præsidium. (3) *Desperationis causa adjuvans.* Judas quidem humanæ rationis præsidia quærit, ut remedium conscientiae doloribus afferret, & à quibus accepe

incitans.

adjuvans

HOMILIÆ PASSIONALES.

Sacerdotum negligentia & malitia

rat plagam, in iis respuendis quærit medicinam. Diabolus ipsum seduxerat: amor pecuniæ ipsum deceperat, autoritas & liberalitas sacerdotum ipsum commoverat. Diabolum adire non audet, quia novit eum infensissimum humani generis hostem, & potius desperationis, quam consolationis autorem esse: sed in reliquis medelam sibi fingit, juxta illud: sublatâ causa, tollitur effectus: possessor erat *premi iniquitatis*, quod prodicionis causâ modò à sacerdotibus acceperat. Hoc averfatur, detestatur, & à se procul abjicere conatur, num abjectò *perditionis signò præsentì* solatii quicquam experiri posset. Reddit igitur ad Sacerdotes, non ut re bene gestâ laudem, vel ulteriorem mercedem reportaret, sed ut iniquitatis mercedem apud eos collocaret. Impulsus erat Sacerdotum blandimentis, ut Christum proderet, coram his igitur scelus suum confitetur, contra sceleratum prodicionis actum protestatur, & de innocentia Christi coram omnibus testatur. At hi miseriâ *Jude* non moventur, nec ipsum consolatione quadam reficiunt, multò minus sanguinarium consilium mutant, vel ullam *Jude* rationem habendam esse judicant, dicentes: *Quid ad nos? Tu videris, ô sceleratos judices, qui nullum innocentia testimonium ad se pertinere clamant! ô damnatos sacerdotes, qui nullam animarum curam ad se pertinere communi suffragiò pronunciant! Iudas* igitur nec in pecuniæ reportatione, nec in publicâ protestatione, nec in innocentia Christi contestatione, quicquam consilii reperiens, sed desperabundus à pontificibus rem suam habere jussus, miserrimæ desperationis abyssum ingreditur.

II. Desperationis *Jude* forma in pecuniæ jactu.

II. *Desperationis Jude formam* describit v. 5. Consistit autem illa (1) *in pecuniæ jactu*, quia projecit argenteos in templo. Obtulera *Iudas* Sacerdotibus pecuniam, nec debitò locò, nimirum non in privata domò, sed in templò, neque debitò modò, sed quod clam acceperat, palam reportabat: omnibus præterea signis externis animum desperabundum demonstrabat, hinc neque sacerdotes pecuniam prodicionis oblatam recipere volebant.

bant, partim *ex pudore*, quia scelus ipsorum publicè manifesta-
batur coram magnâ populi frequentia, partim *ex timore*, ne po-
pulus hanc causam rectius considerans, ad tumultum commo-
veretur, partim *ex conscientia fervore*, ne cum hoc iniquitatis
pretio quicquam commercii haberent, & ut hominem despera-
bundum à se removerent sed, *Iudas* pecuniam coram omnibus
in templum projicit, & his desperandum suum animum o-
stendit. (2) *in solitario secessu*, quia recessit, nimirum à Sacerdo- *in solita-*
tibus & aliis in templo congregatis. Desperabundi præ ni- *rio secessu*
miò animi dolore quasi non homines, quasi conversatione ho-
minum indigni, fugiunt omnem societatem, & solitudinem quæ-
runt, hinc *ἀδνοοῦν*, tantò horrore concuti dicuntur, ut omnis
ipsis conversatio sit odiosa, quia dolores suos & conscientia
morsus incurabiles censent, neque tamen violentas sibi manus
presentibus aliis inferre possunt. (3) *in desperationis actu*, quia, *in despe-*
abiens laqueo se suspendit; Act. I. 8. additur, quod *sensus in* *rationis*
faciem pronus ceciderit, medius crepuerit, & omnia viscera sua *actu.*
effuderit. Horrendum hoc iræ divinæ speculum. Ex quò
apparet, neminem in maxima consternatione dolores suos nu-
trire, solitaria loca quærare, & sibi vivere, sed potius cum aliis
conversari, & medicamenta dolorum ab aliis expectare de-
bere

III. *Desperationis Iudæ energiam* describit v. 6. ad 10. in *III. Despe-*
quibus *triplex energia*, l. etiam *evento* declaratur. (1) *Mercedis iniqui-* *rationis*
tatis elocatio v. 6. & 7. Primum Sacerdotes non sine pudore pecuniâ *Iudæ ener-*
in templò jacentem recipiunt, quia nemo vel poterat è templò, *gia.*
vel volebat hanc iniquissimam pecuniam ferre. Deinde consul- *Mercedis*
tant, de collocandâ hâc pecuniâ, quæ ipsorummet sceleratorum *iniquita-*
nequam iudicio nihil aliud est, quam sanguinis precium, ita ut *tis eloca-*
non possit in carbonem mitti: ut verò lucrum inde facerent, *tio.*
consilium hoc accipiunt, & quendam figuli agrum in sepultu- *Consilii*
ram peregrinorum emunt, ita nebulones curam agunt peregri- *clandestini*
norum, dum ipsum Messiam & Dominum suum produnt & occi- *publica*
dunt. (2) *Consilii clandestini publicatio* v. 8. Dicitur est ager iste *sanguinis*
A 3 *tio*

HOMILIÆ PASSIONALES.

Vaticinii Prophetici applicatio.
sanguinis ager, tum ad perpetuam feleratissimorum pontificum ignominiam, tum ad contestandam Christi innocentiam, tum ad nostram didascaliam, quod nos ceu peregrini, in agrò sanguinis Christi coemptò sepeliamur & custodiamur. (3) Vaticinii Prophetici applicatio v. 9. & 10. quæ videtur conjuncta ex Jer. III. & Zach. XI. Unde h. l. Mathæus solius Jeremie mentionem facit, quia hoc in more positum est scripturæ, vel à Jeremia, secundum textum prædictum, non autem literis consignatum Quod vaticinium tum in civitatis precium, tum ejus ulum, tum prædictionis principium ostendit.

Note Didactice.

1. *Penitentia fera, raro vera, sicut Judæ monstrat exemplum, qui toties à Christo prius invitatus ad pænitentiam, aures, oculos & cor ipsum occluserat, nunc prodito Christo, spretoque Christi verbo, nec apud se, nec apud Sacerdotes, nec intra, nec extra templum, consilium, auxilium, vel solatium invenire valet.*

2. *Penitentia varia, juxta scripturas (1) alia speciosa, quæ consistit in externis tantùm signis, & speciem veræ conversionis saltem mentitur, veram conversionem non amplectitur, quæ dicitur Pænitentia Hypocritarum. (2) alia exitiosa, quæ mortem ipsam secum trahit, quando nim. cruciatus peccatorum secum habet Cruciatu pænarum, ita quidem, ut fides nec adsit, nec adesse queat, nec ulla spes veni e remaneat, sed potius in desperationem transeat, qualis fuit Caini Gen. IV. 13. Saulis 1. Sam. XXXI. 4. & Judæ proditoris h. l. (3) alia fructuosa, quæ verè Christiana, quia cum contritione veram fidem atque vivam consolationem conjungit.*

3. *Peccatum recens blanditur, patratum dormit, evigilans occidit, dixere veteres, ut artes Diaboli circa peccata nobis quodammodo describerent.*

4. *Peccatores ante peccatum cogitent divinam justitiam,*

ne

HOMILLÆ PASSIONALES.

ne peccent; post peccatum commissum, cogitent divinam misericordiam, quæ Gersonis est utilissima regula.

5. Gravisimi peccatores nonnunquam veritatis, innocentiae, vel etiam justitiae testimonium proferunt, sicut h. l. *Iudas* Christum innocentem pronunciavit.

6. *Lucrum* antea *Iudæ* *fenus*, mox *onus*, denique *funus*.

Notæ Elencticæ.

1. *Judæ* *pœnitentia* non fuit absolute denegata, licet post primam conversionem peccaverit, quod contra *Novatianos* observandum. Hinc magis nocuit *Iudæ* *impœnitentia*, quam *malitia*, magis quod in Christum non credidit, quam quod Christum prodidit.

2. *Iudæ* *pœnitentia* constat (1) *Cordis contritione*, quia diserte vocatur *μετάνοια*. (2) *Oris Confessione*, quia dicit: *peccavi, tradens sanguinem justum*. (3) *Satisfactione operis*, quia triginta argenteos in templo projecit. Et tamen veram *Pœnitentiam* non egit, quod observandum contra *Papistas*, qui tribus illis partibus totam *pœnitentiam* constituere satagunt.

3. *Iudæ* *pœnitentia* propterea vera non fuit, quia *fide destituta*, ut *Johannes Ferus Comment. in c. 27. Matth.* fatetur: *Iudæ* *pœnitentia* non fuit vera, quia peccatum quidem agnoscit, sed non sperat, aut *CREDIT* misericordiam; revelatur ei peccatum, sed non *Evangelium*, quod contra communem *Papistarum* doctrinam notandum.

Notæ Epanorthoticæ.

1. Ut primum peccata leviora fugiamus, ne mox in graviora faciles incidamus, & in *Diaboli* *cafes* penitus incidamus, sicut exemplum *Iudæ* notat, qui nisi fur extitisset, non tam facilis ad proditionem Christi *Diabolo* fuisset, nec post in damnationis *Barathrum* incidisset. Hæc est *μεθοδεία* *Satanae*, pecca, persevera, despera

2. Ne

HOMILIAE PASSIONALES

2. Ne cum Iuda Christum & Discipulorum ejus contubernium deseramus, & ullum, vel lucrum, vel solatium apud Hypocritas quæramus, quia Sacerdotes hic dicunt: Quid ad nos? Tu videris.

3. Peccare est (1) pactum cum Diabolo inire. (2) Christum perdere. (3) à Deo deficere (4) in aeternum perire, nisi pœnitentia remedium interveniat.

HOMILIA XIIX, PASSIONALIS

ex Matth. XXVII. v. 11-14.

DE CIVILI CAPTIVI JESUS JUDICIO.

Gen. III. **I**udicium protoplastorum typus iudicii ini qui.

Prel. Gen. III. legimus, quod protoplasti nostri de Verbis DEI, imò de ipsò DEO iudicium instituerint, quis nam sit sensus præcepti primitivi, & quò animo DEUS hoc ipsis præceptum proposuerit, quæ omnia suasu Diaboli miseri homines incautè commiserunt, adeoque iudicium *divinum* propter hoc gravissimum peccatum inciderunt, sicut etiam paulò post ad iudicium citati, coram iudice comparere, & sententiam maledictionis audire, necessum habuerunt; etiam DEI iudicio, & æternis pœnis obnoxii permansissent, nisi æternus DEI filius vicariam eorum personam suscepisset, iudicio divino se subiecisset, & à iudicii pœnis eos redemisset. Quod autem in paradiso promisit, illud tempore passionis præstitit, ubi non tantum iudicio divino, sed etiam humano, se sponte subiecit, & ab unò injusto iudice ad alterum deductus est, modo de *Prætoriali, vel civili super captivo Salvatore* iudicio aliquid dicemus.

Pf. XXII. Exord. Psalmus XXII. nihil aliud est, quam *Propheticum Passionis Christi breviarium*, cum per omnes passionis Christi gradus & actus transeat, nobisque *Messiam patientem* vivis imaginibus exhibeat. Ipse *Psalmi titulus* multa *passionis mysteria*

HOMILIÆ PASSIONALES.

mysteria revelat, quia *Psalmus Davidis de cervâ matutinâ* nuncupatur. Nos alia demittimus, & *matutinam cervæ venationem* modo attendimus. Adest hîc *cervæ*, *Christus Jesus*, ratione, *fragilitatis, infirmitatis, humilitatis*, in hoc summo exinanitionis statû vera *cervæ*: adest *Sylva, Hierosolyma*, tum temporis *bestiarum, vel latronum spelunca*: adest *venationum Magister, Diabolus. Pl. XCI. 3.* qui in hoc *venationis* actû occupatissimus est omnia ordinandô, proponendo, disponendo; adsunt *Venatores secundarii*, omnis nequissimorum hominum turba: adsunt *retia, vincula, & id generis alia venationis instrumenta*, nim. *tebna, doli, fraudulentæ accusationes*, adest *venationis tempus*, nim. *matutinum*, quod omnium commodissimum est *venationibus*. Nos hac vice potissimum *Venatores secundarios* respicimus, quorum in *venatione Cervæ Passionalis matutine* distinctos ordines deprehendimus. (1) *Ex ordine Ecclesiasticô. Venatores* hi sunt tum *pontifices, s. summi Sacerdotes*, qui summo mane *Synedrium* convocant, & *venationem hanc Diabolicam* promovere cogitant. Accurrunt *Pharisæi & legisperiti* inter *Theologos summi*, qui non ultimam *venationis* laudem reportare contendunt. Adveniunt *populi seniores*, quotquot ad *Synedrium* pertinebant, & *venationis* hujus conscii fuerant. *Turba* quoque *Sacerdotum & Levitarum* maximo studiô, variô conatû *venationis* actum provehere contendit, & quotquot ipsorum omnium reperiuntur *ministri*, Dominis suis placere, & *cervam hanc cœlestem venatione* fatigare contendunt. Hanc *venationem* instituunt in *Synedriô*, & è *Synedrii locô*, *summorumq; pontificum palatiô*, per varias plateas usq; ad *Prætorium*. (2) *Ex ordine Domesticô*. Nam cum turba promiscua hunc vidisset tumultum magnum summorum & aliorum *Sacerdotum, suorumq; Seniorum, Pharisæorum & Legisperitorum* pomposum processum, *ministorum & militum apparatus*, suis proceribus gratisimum etiam officium exhibere, & *venationem hanc ampliolem & spectabiliorem* efficere voluit: unde his *venatoribus* se conjunxit, & *cervam matutinam* horribili

*Cervæ
matutina
Venatio
Cervacû
omnibus
requisitis.*

*Ecclesiastici
venatores*

*Domestici
vel plebei*

HOMILIÆ PASSIONALES.

venatione exercere voluit. (3) *Ex ordine Politicô.* Aderant jam populi Seniores *matutini ex Synedrio venatores*, alii quoque *Politici* suum Symbolum adjiciebant, quia omnes contra Christum conspirabant. Nec suam in totum ipsis denegat *operam Pontius Pilatus*, Præses Romanus, qui *cervam matutinam* etiam venatur, iniquâ, contra *acta & probata* legitima, hominis innocentis in prætorium receptione, quasi reus esset Christus, cum ab omni proprio prorsus reatu esset immunis, accusationum contradictoriarum, nihilq; probantium auscultatione, repentinâ condemnatione: nam paucarum horarum spatiô iniquissimum hoc iudicium fuit absolutum, & non nisi per matutinas horas institutum. De quô *iniquo iudicio ex Mattheo* nunc considerabimus I. *Judicii civilis ingressum v. 11.* II. *Judicii civilis I. iudicii progressum v. 12.* III. *Judicii civilis egressum v. 13. 14.*

Iniquum iudicium. Tract. *Judicii civilis ingressus v. 11.* describitur, in quo reperitur (1) *partium comparitio.* *Mattheus* saltem *unius partis*, nim. *accusati Domini* facit mentionem, alterius implicite mentionem involvit. *Iohannes* prolixius hæc describit v. 28, quod Summi Sacerdotes propter festi propinquitatem prætorium ingredi noluerint, ne contaminarentur: ita *hypocrite* contaminationis externæ maculam phantasticam fugiunt, qui contaminatione internâ penitus ebrii sunt. Cum igitur nolent introgredi prætorium, vinctum tamen *Iesum* intromiserunt, & supplicium mortis per suos rabulas à *Præside* postularunt: *Iesus* igitur in *prætorio* vinctus permansit, *Pilatus* autem ad eos est egressus. Hinc sequitur (2) *Causæ productio.* *Mattheus* iterum utitur *historico compendio*, & multa paucis verbis exponit, *Iohannes* vero prolixius *causæ seriem* describit, nim. quod exiverit *Pilatus*, eosq; interrogaverit, quam accusationem adversus hominem intromissum afferant? Innotuerat enim invidia sacerdotum, & odium erga Christum, & cum ipse iudex esset, noluit sine *causæ cognitione hominem*, apud omnes antea vehementer æstimatum, propter solum *Synedrii* postulatum capitali supplicio subicere. Ferunt hoc indignè *proceres*, quod non majorem fidem

Partium comparitio.

Hypocritis Iudeorum.

Causæ productio

HOMILIÆ PASSIONALES.

fidem adhibeat toti *Synedrio*, ideo indignabundi respondent: *Si hic non esset maleficus, haut quaquam tibi tradidissimus istum.* Scelestissimi nebulones, eum, qui omnia bene fecerat, *Marc. VII. ult. κακοποιόν* vocant, ut sceleratissimis consiliis ex accusatione & appellatione pondus afferrent. At *Pilatus* non magni hanc indignationem *Synedrii* facit, sed statim respondet: *Accipite ergo vos eum, & secundum legem vestram eum judicate, i. supplicio afficite.* Hoc audientes illi paulisper cristas demittunt, ne *Præsidem* irritarent, & totam causam suam perderent, ideo dicunt: *Nobis non licet interficere quenquam,* hinc addit *Iohannes*, quod his impletum sit vaticinium *Iesu*, cum prædiceret, quâ morte sit *Iura sumoriturus*, nim. quod crucifixionem à gentibus sit passurus *Matth. XX. 18, 19. c. XXVI. 2. Luc. XII. 31.* *Pilatus* igitur cum sentiret, maximam esse *Synedrii* contra Christum invidiam, & videret atque audiret ipsorum humilia verba, quod faterentur, omne criminale supplicium ad *Majestatis jura* pertinere, & penes *Præsidem* residere, gratum ipsis facere voluit, adeoque introgressus *Iesum* vocavit, quærens: *Tunc es Rex Iudæorum,* partim ad victi confusionem in gratiam *Actorum*, partem ad *Synedrii* illusionem, quod victus ejusmodi homo Rex ipsorum *Judæorum* esse præsumeret, p. ad processus institutionem, ut rem ipsam suscipere, neq; contra votum & expectationem *Synedrii*, diutius examē differret. (3) *Captivi Iesu responsio*, nullam patitur confusionem Dominus, qui Sapientiae omnis autor est, adeoque intrepide respondet judici, coram omnibus accusatoribus frementibus & freudentibus. Summa hæc *παρρησία* divinæ constantiae & fiducia signum est. Conf. *Iohannes*, qui prolixius hoc responsum Christi v. 34. cum *replicâ & triplicâ Pilati*, & *responsis Christi* recenset.

II. *Judicii civilis progressus* v. 12. describitur. Cum enim *Pilatus παρρησίαν* & responsa Christi perciperet, nonnihil dubius in hac causa hærebat. At pontifices, ut *Præsidis* animum occuparent, præconceptis accusationibus in suas partes traherent, ideo accusando instabant, & accusationes cumulabant.



HOMILIAE PASSIONALES.

Capita accusationum contra Jesum præcipua fuerunt 1) quod sine legitimâ vocatione doceret *Matth. XXI. 23.* (2) quod se asserta accuraret esse Filium DEI, & quidem æqualem DEO Patri *Iob. V. 18. XI. 7. Matth. XXVI. 65.* (3) quod semetipsum faceret Messiam *Luc. XXIII. Iob. VII. 10. 27. X. 23.* (4) quod turbaret religionem à Mose, juxta Verbum Dei institutam, populumq; seduceret *Luc. XXIII. 20.* (5) quod damnaret justitiam operum quoad salutem, reciperet peccatores, taxaret Superstitiones ipsorum, *Matth. V. 20. Luc. XV. 2. &c.* (6) Quod violaret Sabbatum, in eò homines egrotos ac debiles sanans *Matth. XII. 2. Luc. VI. 7. Iohann. V. 16.* (7) quod peccata credentibus dimitteret palam ac perspicuè *Matth. IX. 3. Marc. II. 3. Luc. V. 18.* (8) quod affirmasset, se templum destructurum & in triduo restitutum *Iob. II. 20. Matth. XXVI. 61.* (9) quod Cesari prohiberet censum dare *Luc. XXIII. 2.* (10) quod populum in deserta loca deduceret, eumq; suis concionibus, tum à Doctõribus ordinariis, tum a magistratibus constitutis, tum ab operibus vocationis seduceret *Luc. XXIII. 25. Iob. VII. 12.* (11) quod multos discipulos faceret & hac ratione speciem seditiois ac rebellionis præ se ferret *Iob. XII. 20. [12]* quod semetipsum Regem faceret, & in eo Romanorum Imperatori resisteret, ac ejus regnum affectaret *Luc. XXIII. 3. Iob. XII. 33. XIX. 12.* Has accusationes omnes multis exaggerabant, quia verò coram gentili præside causam agebant, Ecclesiasticas accusationes magis seponebant, & politicas urgebant, ut ex *Luc. XXIII. 2.* patet. Accusant autem eum (1) seditiosæ factionis, quod avertat populum. Hunc invenimus, ἰνὸς τῶ ἐθνῶ, sub prætextu religionis & discipulorum factiones eligit, populum multorum millium numerosum in desertum abducit, & rem hæctenus inauditam, nec unquam visam suscipit. Quales factiones seditiosæ non possunt Reipublicæ ruinam non minari. [2] *Majestatica lesionis, Luc. XXIII. 2. vetat tributum dare Cesari Tributæ sunt Majestatis jura, & qui tributa solvere vetant, Majestatem lædunt, hujus igitur criminis læsæ majestatis odiosè Christum accusant. [3] Sceleratæ rebellionis.* *Luc.*

Accusatur
potissimum
seditiosæ
factionis

Majestatica
lesionis.

Sceleratæ
rebellionis.

HOMILIÆ PASSIONALES.

Luc. XXIII. 2. quod dicat, se Christum regem esse, adeoque seipsum regem constituat, Cæsari opponat Joh. XIX. 12. populum ad rebellionem contra Cæsarem commoveat, ut ita non tam propter religiosa quædam certamina, quam propter politica & criminalia scelera supplicio notandus, imò ipsâ crucifixione tollendus veniat: Ad hæc omnia, dicitur, Christus nihil respondit.

III. *Civilis iudicii egressum* v. 13. 14. in quo reperitur (1) *Accusati compellatio* v. 13. Nam cum iudex videret accusatum nihil his accusationibus moveri, neq; verbum Actoribus respondere, sicut vulgo in iudiciis accusati vel accusationes negare, vel excusare, vel alias circumstantias allegare, consueverunt, ideo interrogat Jesum, cur nihil ad hæc ἐγκλήματα responderet, inquam: *Non audis, quanta adversum te dicant testimonia?* cum sciret antea, Synedrium ex merâ invidia & odiô ipsum tradidisse. (2) *Accusati humiliatio* quia subjungitur: *Et non respondit ei ullum verbum*, nimirum, partim propter actores, quos responsione ulla indignos iudicabat, cum mera tantum falsa testimonia proposuissent: partim propter iudicem ipsum, qui falsis hisce testimoniis, sibi mutuo contradicentibus, aures vacivas præbebat, eos propterea non reprehendebat, sed responsionem ad hæc accusationum capita Christi Salvatoris urgebat: partim propter seipsum, ut impleretur vaticinium Esa. LIII. 7. ut suô silentio garrulitatem nostram, & cum primis *Eve* erga serpentiem, quâ nostram innocentiam prodidit Gen. III. 2. expiaret, & in omnibus suam patientiam probatam daret. (3) *Iudicis admiratio*, tum propter criminum obceptorum gravitatem, quæ nemo sceleratorum sine responsione dimitteret, tum propter testium contrarietatem, ad quæ facile respondere potuisset, tum propter eloquentiæ Christi celebritatem.

Note Didactice.

1. *Iesus stetit coram Præside* (1) quia per Judæorum Proceres nunc gentili Magistratui traditus erat. (2) quia eum tanquam

III. *Iuacii civilis egressum. Accusati compellatio*

Accusati humiliatio.

Iudicis admiratio

Iesus stetit coram præside

HOMILIÆ PASSIONES.

quam ab universa Synagoga prorsus excommunicatum, iudicio civili Præsidis obtulerant. (3) quia coram Pilato graviter à Judæorum Primatibus accusatus erat. (4) quia stationem Evæ sub arbore vetita cum omni manducatione prohibiti fructus expiare volebat. (5) quia propterea stetit ipse coram iudicio humano, ut nos coram iudicio divino stare, vel consistere per ipsum queamus. *Luc. XXI. 36.*

Pilati examen de Rege Iudæorum.

2. *Pilatus Jesum interrogavit: Tun' es Rex Iudæorum? tum quia hanc accusationem Judæorum proceres cum primis urserant, Judæi namq; secundum Chrysostr. in Matth. scientes, quod Pilatus modicum curaret legalia eorum, ipsi pro accusatione adducebant maxime, quod ad Republicam pertinebat, videlicet ne alius Rex Judæorum esset nisi Cæsar, sicut clamant Iob. XIX. 15. Non habemus Regem, nisi Cæsarem, & qui regem se facit, contradicit Cæsari: Sic enim censebant, omnium facillime Præsidem commoveri posse, ut Christum morti crucis adjudicaret: quia de causa Pilatus in examine primum omnium causam istam tangere voluit: tum quia in hac accusatione generali, reliqua sive Ecclesiastica, sive Politica crimina includuntur: nam si vocabulum Regis Ecclesiastico sumitur sensu, Messias intelligitur, ad quem omnia Ecclesiastica pertinebant: hoc quia Judæi negabant, ideo multiplicia crimina contra legem eidem imputabant: Si vero sensu Politico supponitur, tum crimen rebellionis, seditionis &c. adversus Imperatorum hic continetur: Tum quia juxta Hieron. super h. l. Pilato nihil aliud interrogante criminis, nisi utrum Rex Judæorum sit, arguntur impietatis Judæi, quod ne falso quidem invenire potuerint, quod obijcerent Salvatori. Christi silentium partim est patientiæ & consuetudinis argumentum, quia tanquam ovis coram tonsore obmutuit Esa. LIII. 7. partim bonæ causæ Symbolum, quia propterea nihil respondebat, cum adversariorum inanes calumniæ, se tacente, sua sponte corruerent, & falsæ criminatio- nes nemine refellente, statim evanescerent; partim innocentiae testimonium, nam si multis & operosis argumentis se Dominus exer-*

Christi silentium.

exeri-

HOMILIAE PASSIONALES

excusasset, vel purgasset, innocentiae suae puritatem atque dignitatem quodammodo minuisset; partim *contemptus adversariorum indicium*, quia eos propter futes accusationes responsione prorsus indignos judicabat; *Dominus*, inquit Origen. d. l. *non respondit, contemptis omnibus, quae dicta fuerunt in accusationem ipsius: partim tranquillitatis animi Symbolum*, quia, sicut pergit Origenes, miratus est Pilatus constantiam ejus, forsitan sciens, quomodo cum idoneus esset pronunciare & remittere crimen, miratus est videns eum in tranquilla & quieta sapientiae gravitate, & inturbabili eum iudicio stare, in quo ad mortem periclitari existimabatur ab his, qui fuerant ibi, & fortior erat humana natura, & omni ejus infirmitate volente obtrudere virtutem spiritus ejus, non autem prevalente facere hoc. Quod autem scriptum est, non solum mirari Pilatum, sed etiam valde mirari, movet ut existimem, quoniam dignum ei videbatur magno miraculo, ut exhibitus ad criminale iudicium Christus inturbabilis maneret, & staret ante mortem, quae apud omnes homines terribilis existimatur; partim *passionis complementum*, quia nihil respondere voluit Iesus, ne si crimina nunc objecta multis dilueret passionem, salutiferam fugeret, aut impediret, & sic dimissionem a Pilato impetraret. Nam eo cautius coram Pilato tacuit, quo Pilatus promptior erat ad ipsum dimittendum: partim denique tacere voluit, ut colloquium primi hominis cum Satana sic expiaret fontemque malorum omnium sic occluderet.

Christus
se regem
confessus.

3. Christus v. n. paratus est statim ad Confessionem, & directam responsionem, inquit Pilato: Tu dicis: scilicet me regem esse Iudeorum: loquitur autem de rege non mundano, quia disertis verbis Ioh. XII. 36. fatetur: Regnum meum non est de hoc mundo; sed de Rege mystico, qui praeter mundanum regnum aliud mysticum possidet, & administrat: de rege non terrestri, sed caelesti, non externo, sed interno.

Pilatus
propter
Confessionem Christi

4. Pilatus etsi manifestam Christi confessionem audiret, tamen illam non de regno politico, vel Romano opposito intelligit, aut alia ratione confessionem hanc sibi, suaeque dominationi, vel etiam Caesaris & Romanorum jurisdictioni minime contrariam statuit, nec accusationem Iudeorum simpliciter admittit,

stum non
conde-
mnavit.

ut

HOMILIÆ PASSIONALES.

ut propterea nunc accusatum confessum condemnaret, & Iesum ob Confessionem datam reum mortis judicaret, tanquam alieni regni vel invasorem, vel oppugnatorem, vel quia Pilatus aliquid de regno Christi peculiari jam audiverat, sicut *Chrysof. hom. 87. in Matth.* observat: *Confessus est se Regem, sed caelestem, quod alibi clarius ad eundem Pilatum respondens ait: Regnum meum non est de hoc mundo. Verum ne aut illis excusatio harum rerum relinquatur, apertissimam affert rationem, dicens: Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarent, ut non traderer Iudæis. Hinc patet, hac de causa & ipsum tributa detulisse, & aliis deferre iussisse, ut nullum hæc suspicio locum haberet, quando etiam Regem eum constituere voluerunt, confestim fugit: Vel quia Pilatus videbat, eum pauperem esse, pauperesque socios eidem adhærere, ut nec sibi, nec Imperio Romano, quicquam ab eiusmodi Rege timendum esse statuerit, adeoque tales accusationes Iudeorum nihili fecerit: vel quia certo noverat, eum tantum propter invidiam Sacerdotum traditum esse v. 18.*

Note Paræneticæ.

1. *Christus cum ad crucifixionem suam accederet, & crucem suam gestare susciperet, deposuit, quæ Herodes dedit, quæ Pilatus, quæ milites, nim. chlamydem & sceptrum, quæ regni mundani Symbola fuerunt, & proprias induit vestes: sic qui vult esse Christianus & crucianus, atq; Christi crucem portare, vestimenta Christi tantum induat, mores hypocritarum, quorum typus Herodes vulpes, mores tyrannorum, vel injustorum judicum, quos Pilatus refert, mores illusorum, quales milites fuerunt, prorsus deponat, ut Christi vestigia rectius in via crucis observare queat. Patientia, obedientia, humilitas, illa respectu sui, ista respectu DEI, hæc respectu hostium, & omnes reliquæ virtutes, vestimenta Christi sunt.*

2. *Simon Cyrenæus Christo Portat crucem, qui erat advena ex Cyrene: Sic nos omnes simus vere Simones hoc est verbi auditores. Cyrenæi, h. e. parietini, ut juxta nos, quasi post, vel juxta parietem stet Christus; Cant. II. 9. simus advena, ut mundum non ceu terram habitationis, sed peregrinationis, respiciamus, & sic Christo crucem portare poterimus.*

05 A 298

ULB Halle


3


004 207 092



BU.







DISPUTATIO THEOLOGICA PASSIONALIS 73
SECUNDUM

MATTHÆUM,

Ex CAP. XXVII.

Quam

In florentissimâ ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Maximè Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS Deutschmann/

S. Theol: Doct: ejusdemq; Facultatis Professoris Publ.

Celeberrimi, nec non Alumnorum Electoralium

Ephori gravissimi,

Domini Patroni, Præceptoris, studiorumq; suorum Pro-
motoris omnem ætatem observantissimi.

Publicæ Eruditorum ventilationi

exponit

M. JOHANNES PAULUS CRUSIUS, VVilstroff:

Misnicus, Sereniss: Elect: Saxon: Alumnus.

In Auditorio Theologorum

Septimo Idûs Aprilis, Anno Christi M, DC. LXIX.

WITTEBERGÆ,

In Officinâ Fincelianâ excudebat Michaël Meyer.